

pus, ubi facultas ad victum sufficeret. Nam ita me Deus erigat in rectam viam, quod ego miseriam infimam reputo, quod aliqui grandem forsitan preclaramque eminentiam coniecturant: hoc ego aliquando considerans experiri volui, an possem transire cum fundo, quem dotalem possideo. Itaque per annos duos privatus dego, contentus fructibus annualibus et nescio quot libellis, cum interim consumptis numusculis paucis admodum qui superfuerant cum ab offitiis cessi, ad occupationem pristinam coactus retrahi, vellem nollem. Et tamen quantillum sit onus familie, satis liquet, quod habiliter levius esse non potest. Sed verum est quod vulgo dici solet, melius scilicet imprudentem rem suam nosce quam doctus alienam. Multaque possem ad presentem materiam addicere, sed non omnia licet committere calamo, et iam satis dixisse videor superinde. Hoc tamen sufficit, quod iudicia vulgi vana sunt, sicut et ceterae actiones.

Quod autem non scripserim hactenus, quod tacitus permiserim tempus labi, quodque in signum fraterni amoris non visitaverim te gratis munusculis, excusant me occupationes indesinentes, et tedium multorum que quotidie se ingerunt oculis, variis undique circumstrepentibus casibus, in quibus persepe et mei et tui et omnium obliviscor. Quod quidem in nullam sinistram partem vellim accipi, nec ad teporem amicitiae qualitercunque ascribi. Nam sic ex alto faveat michi Deus, quod tuus sum quantum quis alterius esse potest. Et vale. [Iustinopoli] 1367.

7.

Epistola eiusdem domini Pauli ad Bernardum de Casalortio ^{a)}.

[Vat. cc. 106 v-107 r; Vi. cc. 342 r-342 v; M. c. 185; L. c. 101].

Morbum diu patior tecum, quem sub dissimulatione transisse sepe propositum fuit, sepe invalescente illo, nec paciente medel-

⁹⁴ Vi. M. L. dirigat. ⁹⁹ cum] om. M. L. ¹⁰⁴ L. occupationes pristinas. ¹⁰² tamen] om. M. L. ¹⁰³ verum] M. L. unum. ¹⁰⁴ scilicet] Vi. M. L. om. ¹⁰⁴⁻¹⁰⁵ Vi. M. L. multa quoque. ¹⁰⁵ Vi. M. L. adducere — [È adicere]. ¹⁰⁷ Vi. *M. L. sufficiat. ¹¹² et omnium] et tui omnino M. L. ¹¹³ Vi. L. M. obliviscar. in] Vat. iii. ¹¹⁶ Data om. Vi. M. L.

^{a)} Cfr. a pagg. 75-6, 78, 90, 95-6, 145, 152, 160.

¹ Bernardo Casalarcio (M. L. Bernhardo Casalarcio) civi Cremonensi viro singularis ingenii, Vi. M. L.